EPICEDIUM

EXTEMPORALE.

LUGDUNI,

Ex Typographiâ PETRI BRUYSET, in vico Bellæ-Corderiæ.

CUM PERMISSU.

MDCCXIX.

R. R. PATRIBUS PROVINCIÆ LUGDUNENSIS SOCIETATIS JESU.

NON ingratum, ut spero, RR. VV. munusculum mitto: Transalpinum & extemporale carissimi mei comitis ac socii, Patris Joannis BRUN Epicedium. Cum enim ille Augustæ Taurinorum quò mecum unà venerat, morbi repentini gravitate oppressus Die 12. Junii 1719. *intra biduum migrasset è vita, incredibili quodam, non domesticorum modò, sed exterorum etiam mærore ac luctu, biduo pòst funebri poëmate parentatum est illi publicè ab uno è nostris. Est is Thomas Cerrutius inferiorum scholarum magister, qui licet adhuc adolescens, subita & inexpectata lucubrationis elegantia singularem, & illius quem laudabat mortuum & sui ipsius admirationem concitavit. Hos ego versus Lugdunum delatos mecum, typis mandari curavi, non solùm ut memorem nostrum erga autorem testarer animum; sed etiam ut hoc qualecumque & communis nostri doloris solatium, & rarissimæ Patris Joannis BRUN virtutis ac doctrinæ monumentum extaret.*

JOS. DE GALLIFFET, Provincialis.

IN OBITU

P. JOANNIS BRUN, SOCIET. JESU.

PIETATE AC DOCTRINA

PRÆSTANTIS.

EPICEDIUM EXTEMPORALE.

SI quando tragicos cecinisti induta cothurnos
Triste aliquod funus, tristémque in funere luctum,
Melpomene, hùc adsis, laniatis secta capillis,
Mirtea serta gerens; nunc omnes congere fletus,
Et quotquot summi perhibentur signa doloris.
Tu fictos aliàs Niobes, & tristis Agaves
Plorasti casus, & fercula sæva Thyestis;
Incipe vera sequi, sed non minùs aspera fata:
Nec mihi Castalios præstes in carmina fontes.
Solus erunt lachrymæ potus; dolor ipse magister
Funesto doceat cytharam me tangere cantu.
Sed non sola veni; simili clangore sorores
Ingeminent luctus, summúmque sequantur honorem.
Hic quoque quem flemus magna olim gloria, Musæ,
Vestra fuit *, Pindo nituit donatus & ipse,
Assuetus facili gratissima ducere plectro
Carmina; quem sylvæ circùm stupuere canentem,
Et parilis cantûs delusi ab imagne montes,
Jam velut ad numeros Orphei cœpêre moveri.
Ipse pater merito præcinxit tempora serto
Phœbus, & illustres inter dedit esse poëtas.
Invida vicisti mors; heu! decus occidit ingens
Lugdiadûm *, (ah facinus!) Nec te tua plurima BRUNE
Labentem pietas, neque rara modestia texit.
Interea excedens tectis Libitina triumphat.
I gaude; sed parva potes jactare Trophæa.
Si quem falce tua vili de plebe recidas,
Plaude tibi, tua præda ille est; at maxima virtus
Occiduos nescit fluctus, atque æthere semper

**Plura scripsit vario idiomate variique metri carmina, quæ licet nunquã prelo data, transumpta aliis ex aliis exẽplaribus, apud literatos circumferuntur & magno in pretio habentur.*

** Lugduni diutissimè commoratus, ibi ingenti omniũ plausu docuit Rhetoricam Mathematicas, Philosophiam & Theologiam. Inter nobiles Academicos Lugdunenses adscitus clarissimæ nobilitati in deliciis erat, & ut quisque vir probus & litteratus erat in amplissima civitate, ita P. BRUN singulari affectu prosequebatur.*

In medio fulget toto ſpectabilis orbe:
Ingentes animas nulla ætas eximit ævo.
Tu geminos oculos æternâ claudere nocte
Auſa es crudelis; ſed mille & lumina mille
Luſtrabunt avidâ pretioſa volumina mente,
Queis docuit plures Divina arcana * per annos.
Aurea, non iſtis, dicent, ſi viveret annis,
Vel Plato Divinus meliùs præcepta dediſſet.
Jamque ratam noſtris præſtant clariſſima verbis
Facta fidem; optantur latè manibúſque teruntur,
Totáque in attonitas erumpit Gallia voces.
Tu potuiſti almæ miſeranda ſilentia linguæ
Ponere; ſed centum linguas fama oraque centum
Pandit, & extendens alas à Gadibus uſque
Auroram & Gangem felicis nuntia ſortis
Illa opus egregium, Bruni quod condidit unà
Ingenium ac pietas æquatâ parte laboris,
Læta procelloſis gaudens oſtendere terris,
Feſtivo ſonitu, populos urbeſque fatigat.
En, ait, en tenebris inimica recenter obortis
Lux clara, en magnum vel parva in mole volumen *
Quot fugat errores, quot ſole nitentius ipſo
Vera aperit ſtygiáſque è mentibus ejicit umbras.
Infremit Hæreſeos monſtrum, comes infremit altè
Impietas, ſed vana minas audacia jactat.
At contrà gaudens ſacrâ proſpectat ab arce
Pura Fides, & damna videns reparata ruinæ
Ingentis, victúmque nefas ductore ſub iſto,
O quis te, meritis extollat laudibus, inquit,
Ultrò me illæſam calamo qui vindice ſervas.
Ergo vivit adhuc quem mors ſibi credit ademptum
Illa quidem ſecum, cariſſima pignora, tollat
Membra fatiſcentis; vitâ potiore fruetur
Divinis animus, qui jam complexibus ardet,
Atque æterna bibit ſecurâ gaudia mente.
Interea furias è cælo mortis inanes
Tu bone derides; nos contrà durior angit
Et dolor & gemitus, quò ſcandis dignior axem.
Namque, heu! vix nobis te oſtendunt fata, neque ultra *
Eſſe ſinunt. Quantò levius tam fulgida gemma

* *Theologiã annos fermè 12. tradidit, cujus ſcripta Theologica ſparſa latè per Galliam volitant; iisque ipſi è delectantur ſacræ doctrinæ ſtudioſi, nihilque porrò magis habent in votis quã ut typis mandata juris publici quam primum fiãt.*

* *Scripſit vernaculo ſermone eximiũ inprimis opuſculum non ſine magno fidei orthodoxæ emolumento.*

* *Pervenit Taurinum die 3. Junii morbo correptus die 10. Jun obiit die 12. ejuſd.*

Non donata malum, quàm mox ablata fuisset.
Vix brevis hora data est, quâ te cognoscere coram
Affarique etiam licuit: pretiosius ullum
Nunquam tempus erat quàm cum tua verba referre
Fas fuit, & faciles mirari & discere mores.
Grata dies puróque dies signanda lapillo,
Quâ sors in nostras te prospera detulit oras:
Ah! fallor funesta dies deflendáque, quando
Festivæ voces & inania gaudia totam
Miscebant ædem, cùm primùm hæc tecta subisti.
Tristior, heu! post falsa poli venit otia grando.
Effera vis morbi spem nostram ex parte revulsit:
Scilicet ex geminis *, paribus quos ardua virtus
Excoluit studiis, rapuit falx dura secundum:
Avulso quamvis uno non deficit alter
Aureus & parili florescit vita metallo.
At si obiter nobis, dono concessus avaro,
Jam deflendus obis, quos fundet Gallia fletus
Quæ te suspexit puerum juvenémque virúmque?
Ut tamen occideris, tantæ solatia habentur
Qualiacúmque necis; nam, certum in pignus amoris,
Indeploratum nec Terra nec Astra tulerunt.
Hoc fuit aspectûs facies cur versa sereni
Intempestivo riguit cùm frigore tellus.
Vidi ego, cùm fessos morbo deponeret artus,
Atque urbem testor totam, caligine cælum
Obduci, quantum est, & tanquam præscia fati,
Nubila perniciei, tempestatésque minari.
Atque utinam solùm nimbos solitásque procellas
Tunc portendissent; majora pericula nobis
Instabant, solósque ferox nos turbo petebat,
Crescebat morbus, crescebant nubila cœlo;
Et tandem luctantem animam cum duceret ægrè
Effuso visus, quo nunquam largior, imbre
Flere polus, lachrymis & grandibus arva rigare.
Quin etiam tristes audivi effundere questus
Destituente illum vitâ, dum fortè gemebam,
Non procul à magnâ quâ cessat porticus aulâ
Aulâ quæ doctis millena volumina pandit.
Accedo admirans arrectísque auribus adsto.

** Alludit Poëta ad P. Provincialē, qui sibi Patrem BRUN fidissimū viæ comitem munerisque socium adjunxerat.*

Die ipsa obitûs illius, cœlum reipsâ obduci nubibus prætermodum Taurini visum est, atque adeò effusissimo imbre depluere.

Ecce autem plures, ubi panditur area, Divæ
Inter se ingratum Bruni de morte fovebant
Colloquium, crebris singultibus interruptum.
Hîc, bona fœdato stabat Facundia vultu
Seu qualem Latii dudùm docuere parentes,
Seu qualem antiquo celebravit Græcia fastu.
Hîc, quæ stellarum numeros & nomina dicit
Quà rutilet Mavors, quà sit Cytereius ignis,
Artophylax qualis, quales sint Arcades Ursæ;
Ipsa aderat quæ cuncta docens, Elementa requirit,
Materiæ causas, quo mundi machina motu
Vivat, & unde rigor nivibus ventíque per auras.
At pia præ reliquis mœrens sine lege dolebat
Quæ cæcis reserat penetralibus abdita cœli,
Æternúmque jubar studio vestigat amico.
Quid reliquas memorem, incolumis dum viveret ille,
Quas coluit divas, altóque in pectore fixit?
Diversis linguis vox hæc erat omnibus una:
Ah! noster periit cultor! Tot pectus onustum
Divitiis Sophiæ, fractis en viribus ægrum
Deficit, en dives tot donis lingua Minervæ
Jam motûs impos silet, æternúmque silebit.
Nil fortasse illo sapientius, aut prior ætas
Protulit, aut ventura feret. Quò figere sedem
Possumus, aut similes ubi nanciscemur amicos?
Hos Divæ fletus hæc verba dedere; sed auræ
Omnia discerpunt, & nubibus irrita donant.
Non tamen alma tuæ solùm Sapientia natæ
Ingemuere, aliâ siquidem chorus alter in æde
Virtutum chorus ante sacras mæstissimus aras
Luget, responsátque latens lugentibus Echo.
Incola magnæ animæ virtus convenerat omnis
Comis Amabilitas, facilis Reverentia vultûs,
Semper & in placidâ formosa Modestia fronte
Et quæ tranquillum tenuit Clementia pectus
Et quæ sublimem rexit Prudentia mentem,
Relligio, Pietas, recti tenor, ardor honesti.
At quæ compositos retinet Patientia motus,
Et quæ non trepidum servat Constantia vultum,
Ultima turba venit; nimirum hæc utraque virtus

Semianimem Heroem postrema ad fata sequutæ,
Illo etiam exhalante animam complexibus ægrè
Avelli poterant, illæ in cruciatibus, illæ
In summo ereptæ per vim discrimine vitæ
Atque os, atque animum sacrâ obsidione tenebant;
Nec vocem emitti querulam, nec signa doloris
Ulla dari passæ: at, vitâ fugiente per auras,
Fessos una oculos occlusit, & una duarum
Relliquias vitæ lachrymis collegit obortis.
Quando actum est igitur, nec spes est ulla salutis
Ad socias veniunt, notâ & dolor ultimus æde
Egeritur, deflendi ardor fit in omnibus unus,
Et justas repetunt alterna voce querelas.
Ante omnes Pietas miserando angore gemiscens,
Verba efferre impar, nutus pro voce remittit:
Hæc, Templi partes ardenti lumine lustrans,
Indice nunc aras, aras illius amores
Signat, ubi tenero cultu tot sacra peregit;
Pulpitum inane modò aspiciens, dixisse videtur:
Ille fuit, quondam sacro qui accensus ab igne,
Pandebat cupidæ divina oracula turbæ.
Mox, oculos torquens quà multâ in sede tribunal
Consurgit sacrum, memorat quot ritè per annos,
Quâ semper curâ, qnanto excipiebat amore,
Vitæ incusantes studia illaudata peractæ.
Sic diversa videt, geminant diversa dolorem,
Nec minùs & sociæ mœsto loca sacra susurro
Implerunt flentes: hæc nulli pervia sorti,
Laudat in adversos firmatáque pectora casus;
Gratas illa operum series populisque Deóque
Commemorat,quâque arte hominum ad se corda trahebat,
Quâque Deum. Justas nunc ipsa Modestia laudes
Expedit, & miras pergit producere dotes,
Quæ laudes quondam famámque exosa tacebat.
Sola tamen, brevibus lacrymis sibi debita postquam
Munera solvisset,placido Prudentia luctu,
Mox oculos tergens, & vultu læta sereno,
Flevimus, ô sociæ, dixit, quòd Gallicus Heros
Excessit terris, nunc pars manet altera, noster
Quâ se promat amor, fato mœrere licebat;

Nunc gaudere juvat, ſuperis quòd regnat in oris :
Nos ideo coluit, curæ fusíque labores
Hàc mercede placent : ite, & ſincera vocantes
Gaudia, ferte roſas, manibus date lilia plenis,
Et feſtâ tumulum liceat circumdare pompâ ;
Ille etenim è cœlò fieri ſibi talia mandat.
His cor Divarum, his pariter Prudentia noſtrum
Firmet, inexpletum juvat exhaurire dolorem,
Et tecum potiùs felix lætarier, Heros.
Tu potes humanos, tuta inter ſidera, caſus
Deſpicere, extra ictum ſortis : Tu Numen * amicum
In tua flectere vota potes, cauſámque tueri
E cœlo meliùs, quam propter longa viarum
Pondera & extremos voluiſti ferre labores :
In terris alter vincet cauſam, alter in axe.
Sic mecum ipſe canens, mœrorem ex parte levabam.

*Graviſſimis de rebus Siciliæ Regem ſupplex adierat Pater Provincialis.

THOMAS CERRUTIUS.